

motiuorum uberiorem propositionem & omnimodam relationem, ipsa aequitate & Justitia sic exigente, in servitij Nostri reiue publicae Emolumentum ac fidelitatem vestrarum & Jurisdictionis Banalis in emnitate perpetuo duraturam, pro finali decisione benigne resolvimus, & determinauimus, accurateque executum habere volumus, quatenus:

Primo, totum illud, Vunnam inter Colapim et Sauum fluuios situm, Nostraeque Ditioni, ex almae victricibus armis nostris procuratae pacis mente legitime subiectum Territorium, una cum omnibus & singulis cuiuscunque Nationis inhabitatoribus, praesentibus & futuris (quos inter ij quoque Stipendiarij, qui ob propriam Commoditatem Stationes ibidem sponte fixere, intelligendi ueniunt), quoad proprietatem & Dominium utile, quatenus fiscale esset, a Camera Nostra Aulica deinceps dependere, quoad Jurisdictionalia vero & Spiritualia immediate Regno Nostro Croatiae & eiusdem Banali potestati resignari ac subesse, totumque exinde Territorium, quod ultra Confiniorum exigentiam neoaquisitum superest, una cum abolendis & cassandis Generalatus Varasdinensis fortalitijs, eoque pertinentibus Districtibus, juxta antelatae Camerae Nostrae Aulicae Dispositionem ordinatim conscribi, in Dominia et Bona diuidi, atque vel venditione, vel alio quouis meliore modo in aerarij Nostri Emolumentum conuerti, ac contributioni, sub collectione & Jurisdictione Regni & Bani, cum Reservatone tamen omnium aliorum Jurium Regionum & Regalium solitorum, subijci debeant.

Eumque porro in finem ab intima Nostra Interioris Austriae Cancellaria, medio interiorum Austriae Dicasteriorum, modernis Commendantibus & Officialibus Varasdinensibus, Copreinizensibus, Sancti Georgij, Crisiensibus, Iuanitschiensibus, Petrinensibus, aut ubiuis alibi constitutis serio simul iniungendum commisimus, ne quisquam Eorum supra mentionatum, in praerecensitis Districtibus degentem Populum Valachicum, vel quoscunque Incolas directe vel indirecte aduersus Regni & Banae Dominium eorundemque Dispositiones concitare, vel ab obedientia illis debita auertere, aut alios qualescunque modos, hanc gentem ad se vel aliorum traducendi suggerere, ullo sub praetextu ausit vel praesumat; quin potius, ubi unus vel plures ex praefata gente aut Incolis ad Confinarios interioris Austriae Nostrae Commendantes queribundus refugeret, talem vel tales a sese inauditos abigere, atque ad praedictum Regni Nostri Bannum illiusque Instantias simpliciter & sine mora remittere teneantur. Supremus insuper Petrinensis Capitaneus, si Militiam quampiam, ex suis stipendiatam, siue Kostanizae, siue alibi, ex saepe recensitis Districtibus adhuc haberet, illam ab inde confestim auocet, ipseque pariter cum iisdem, eductis educendis, statim inde cedat, postque educationem nihil prorsus sibi curae aut negotij illis in locis ultra summat. Verum et ipsi Petrinenses, hactenus Petrinae & intra praetactos limites collocati, qui ibidem subsistere & suam habitationem continuare voluerint, Bano & Regno parere ac subesse teneantur. Casu autem, quo ipsi respectu Petrinensis, aut istius, propria Autoritate & potentia mediante occupati & hactenus usque Kostanicensis vel alterius cuiuspiam Territorij meliorem titulum, quam Episcopi Zagrabienenses Donationales habere atque authentice demonstrare se posse existimarent, & consequenter dicto Episcopo litem intentare, eumque & Capitulum in causam attrahere superinde vellent: Attunc causam hanc suam via Juris ordinaria coram ipso Nostro Bano, tanquam in ejusmodi realibus actionibus competente Judice, prosequi nouerint. Interea vero ab omni ulteriori retentione, violento ausu, propriaque usuatone abstineant. Non minus item Petrinenses dictae Nationis instigatores atque concitatores, pacisque et quietis publicae turbatores, ad alia, quoquo potest fieri modo, remotiora Confinia procul amoucantur, omnesque hactenus viarum Ductores aliique Officiales, cuiuscunque Officij aut dignitatis existentes (Siquidem isthaec munia imposterum a nemine alio, praeterquam a praelibato Nostro Regni Bano conferenda veniunt) penitus exaurentur indeque mox amouantur, nec ullos deinceps Trans-Colapiano-Vnnanos adhibeant aut inibi diutius comorari patiantur. Similiter cum Maiesitati Nostrae relatum exlitis et, certas quasdam a Generali Nostro Locumtenente Principe Ludouico Marchione Badensi etc. iisdem Valachis impertitas Protectionales Caesareo Regias, ab ijsque Comiti Erdeödy consignatas, nec minus Inventarium Kostanitzenze, simul atque Bani & Vice Bani reuersales prae manibus interioris Austriae Consilij Aulico Bellici etiamnum supervacaneas iacere, alibi magis necessarias, praesertim quia (Kostaniczam in quantum concerneret) hocce fortalitium una cum omnibus praerepetitis, Colapim inter & Vnnam adjacentibus, sicut & Jessenouecz pariter cum eo spectantibus Confinarijs caeterisque locis cis-Sauano-praesidiarijs, iam antea per Nos Banatum Regni, eiusque & Banali Dispositioni benignissime collatum atque confisum esset: Quae omnia siquidem nunc & in futurum a Consilio Nostro Aulae Bellico collauderent, eidem quoque praerecensita quatuor instrumenta literalia mox consignanda, ac mediante nostra intima Cancellaria Austriaco Aulica, crebrius dicto interioris Austriae Bellico itidem Consilio efficaciter ordinauimus praecipimusque.

Secundo, non solum ipse Generalatus Varasdinensis & Praesidia Sancti Georgij & Iuanitschense, sed etiam Copreinizense, Chasmense, Crisiense et Petrinense, adeoque omnes indifferenter commendaturae earundemque Jurisdictio, cum integro Superiore Statu Militari, quamprimum reformari, cassari atque annullari debeant; ex aduerso Gregarij & Praesidia ij Varasdinenses Milites, quotquot eorundem necessarij, propriaque sponte sese transferre intentionati fuerint, prae caeteris ad alia tam constituta, quam adhuc constituenda